



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quandò sint ea praecepta periculosa conscientiae, & frustrà fiant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ieiuniorum, confessionis, communionis delectu-
 borum: nam cum ipse Deus ieiunium præcepit,
 quo habiliores efficeremur ad seruanda Dei præce-
 pta, Matth. 6 Ecclesia tempus & diem addidit. præce-
 pit item confiteri peccata: Ecclesia dies addit. lauda-
 re Deum, audire verbum Dei: Ecclesia dies præscri-
 bit. viuere continenter, non mœchari, esse subditum
 Deo & Præfato: Ecclesia addidit vota & vitam mo-
 nasticam & id genus alia, vt omnia decenter & ordi-
 ne fierent, &c. Non opinati sunt patres, has traditio-
 nes suas fore potissimum & præcipuum Dei cultum
 hic enim in fide, timore, spe & dilectione consistit,
 illis motibus & virtutibus internis, in fructibus Spi-
 ritus: sed volebant suas traditiones esse seruos tan-
 tum horum motuum & præcipui cultus Diuini, at-
 que exercitationem fidei, timoris, atque dilectionis
 Dei: nemo enim traditionibus tribuit iustificatio-
 nem & salutem, nisi qui ignorat Euangelium Chri-
 sti. Propter hos ergo fines, præcepta humana addita
 sunt diuinis.

2. Traditiones & præcepta humana tunc sunt per-
 culosa, & venenum conscientie siue animæ, quando
 illis tribuitur quod fidei in Christum debetur, aut ipse
 Christo saluatori: hoc autem tunc fit, quando illis tri-
 buitur remissio peccatorum & vita æterna: & sic re-
 ijcit eas Propheta Esa. 29. Et Christus Matt. 23. in-
 quiens: Gratis me colunt doctrinis & præceptis hu-
 manum, quando scilicet in illum finem docentur, quod
 hæc per se nos iustificent coram Deo, & sint potissimum
 cultus qui Deo placeat, reiecta fide, timore, dilectio-
 ne: & quoniam sic furantur Christo officium suum
 ideo sunt periculosa. Insuper quando his ligatur con-
 scientia, scilicet si abstinuero à comedenda carne
 die Parasceues aut sexta feria, tunc puto me per hæc
 abtinentiam meruisse cælum: Si verò comedero, pe-
 grauiter peccasse & meruisse infernum, quando sic ma-
 iorem

iorem conscientiam facio de violatione traditionis huiusmodi, quàm de violatione præceptorum Dei, sicut Christus arguit Phariseos Mat. 23. Væ vobis qui decimatis mentham, anethum &c. & relinquitis maiora legis, &c. Est enim specialis vexatio Diaboli, plùs ponderare propria nostra opera, vota, præcepta, orationes, quàm Dei præcepta & generalia opera quæ Deus præcepit, & maiorem indè habere scrupulum & terrorem in conscientia, si negligentur, quàm in transgressione diuinorum præceptorum. Si quis feria sexta comedit carnes, hæresi notatur: Si maledicit, si mœchatur, si inebriatur, &c. nemo quippiam dicit. Sunt quoq; periculosæ traditiones, quandò aperte sunt contra præcepta Dei, & quandò sic vrgentur plùs quàm Dei præcepta, vt fuit corbana &c.

Si debitus finis tribuitur traditionibus, tunc sunt laudabiles & etiam meritoria, scilicet si fiunt liberè, non vt hîc quærat iustificatio, aut quòd peccetur si ex aliquâ causa, & non contemptu violentur, sic erat cibus de leguminibus puerorum, Daniel. 1. Et obseruatio traditionum filiorum Rechab, Hier. 35. & Ioan. Baptista commendatur de vestitus asperitate, cibo & potu. Mat. 3. & Luc. 3. hîc iustificationem suâ tribuit Agno Dei, Ioan. 1. & tale genus vitæ tenuit quod Deus etiam non præcepit: Sic hodiè religiosi suas regulas sine superstitione. Et quidè negari nō potest, quin etiam meritoria erat illis pueris abstinentia, dedit enim illis Deus sapientiam &c. filijs Rechab perpetuum sacerdotium. Ideò non in totum omnes traditiones & Decreta patrum sunt abijcienda: hoc esset peccatū rebellionis. sicut fuit Chore, Dathan & Abiron, &c. Nume. 16. & peccatū Oziæ regis, 2. Paralip. 26. Potestas igitur tenetur liberare grauatas conscientias: nostrum est obedire, & Paulus ordinauit constitutiones multas de velandis mulieribus, 1. Corint. 11. quòd non prædicent, 1. Corinc. 14. & iubet etiam seruari

uari